Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO FEUDALIS

DE

INVESTITURA

QUAM

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

Ex benevolo Magnificæ Ampliſſimæque Facultatis Juridicæ conſenſu

PRAESES

HARTWIGUS à SPRECKELSEN

Hamburgenſis

Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubjiciet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Reſpondente

JOHANNE SCHELE

Hamburgenſi

ad diem Auguſti.

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

Anno cIↃ IↃ c LXXII.

Q. D. B. V.

DE INVESTITURA

I.

GErmanos ad bella magis, quam ad pacem pronos fuiſſe, ex hiſtoria patet. Ut autem bella melius gerere poſſent, de militibus comparandis haud parum ſolliciti fuerunt. Hos ut magis devinctos ſibi redderent, optimè per præmia fieri poſſe putarunt. Conceſſerunt itaque ipſis præmii loco agros, ſub hac conditione ut ipſis eſſent fideles, eosque ſequerentur, ubi opus, in militiam.

II.

Præmia hæc ſeu iſti agri, poſtea ſunt nominati feuda: quæ quo tempore originem traxerint, valdè inter interpretes diſputatur. Cum plurimis tamen initia feudorum Longobardis, atque ita etiam Germanis accepta ferimus. *Rittersh. in part. feud. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. *&* 3. *Vultei. l.* 1. *n.* 14. Soli enim Hiſtorici rerum Germanicarum ferè feudorum mentionem faciunt, videatur *Dn. Struv. ſynt. jur. feud. c.* 1. *exeg.* 3. ubi pluribus hoc oſtendit. Tacitus quoque in libro ſuo de moribus Germanorum teſta-

tur, feudorum inſtitutum aptè congruere illorum indoli: *Principes*, refert, *pro victoria pugnaſſe, comites pro Principe.* Ex quibus colligere licet Germanos Principes habuiſſe comites, qui ipſis fidelem in bellis operam exhiberent. Et Grot. *de jur. b. & p. l.* 1. *c.* 3 *n.* 23. teſtatur, hodie feuda ferè in ſola Germania, ac terris olim à Germanis occupatis, eſſe recepta.

III.

Eodem tempore, quo feuda originem traxerunt, inveſtituram quoque ortum ſuum cepiſſe, & neceſſariam fuiſſe, verò haud videtur abſimile. Hæc enim ſi deeſt, nulla naſcitur inter Dominum & Vaſallum obligatio, & ſic per conſequens, nullum adeſt feudum. Nam nemo feudo potiri poteſt, quem tenor inveſtituræ excludit. *arg. l.* 21. *C. de probat.* Hinc quoque jura volunt, tenorem inveſtituræ in quovis feudo attendi 2. *F.* 18. Nec aliter feudum ad quempiam pervenire poſſe, quàm per ſucceſſionem & inveſtituram probat *tx.* 2. *F.* 1. ita etiam legibus feudalibus cautum, ut Vaſallus, qui inveſtituram petere neglexerit, feudo privetur. 2. *F.* 24. Concludere ergo licet, inveſtituram eôdem fermè tempore, tanquam feudi conſtituti eſſentiale requiſitum, quô ipſum feudum, initium cepiſſe.

IV.

Derivant nonnulli vocabulum inveſtituræ à veſte

veſte, quaſi veſte indutus videatur Vaſallus poſſeſſione rei, vel jure. Fit namque Vaſallus hac veſte ſive beneficio ditior, idque ei gaudium tribuit, ut loquitur *tx.* 2. *F.* 23. Alii melius tribuunt originem voc. inveſtituræ Gothicæ vel Germanicæ voci **veſt.** videatur Magnif. Dn. Eibenius *in elect. ſuis jur. feud.* Sumitur autem illud dupliciter; vel generaliter, vel ſpecialiter. *Vult.* 1. *F.* 7. *n.* 5. & 6. Per generalem inveſtituram intelligitur totus ille actus, quo hoc agitur, ut feudum conſtituatur, qui conſiſtit in promiſſione, conſtitutione & acquiſitione. Specialiter ſumitur tripliciter: (1) pro ipſo inveſtiendi actu, ſive abuſivo ſive vero, qui præcipuè in ipſa rei traditione conſiſtit. *Vult. d. l. n.* 5. Quia vero contractus feudalis pars quaſi eſt inveſtituræ, ideo (2) non incommodè pro ipſo contractu ſumitur. *Duar. de feud. c.* 7. *n.* 2. (3) demum denotat ſcripturam ſeu inſtrumentum ad memoriam feudi conceſſi confectum, Germ. **den Lehnbrieff**/ quæ breve teſtatum appellari ſolet. 1 *F.* 2. A nobis in hoc diſcurſu ſumetur, in prima ſpeciali ſignificatione, pro ipſo in veſtiendi actu. Deſcribi autem poteſt propria inveſtitura per ſolennem aliquam confirmationem, vel collationem juris cujuſdam, quod in re conceditur, vel qualitatis quæ perſonæ tribuitur.

V.

Dividitur porro inveſtitura in propriam & abuſivam 2. *F.* 2. Propria eſt ipſius rei in feudum conceſſæ traditio, ſ. corporalis feudi poſſeſſionis apprehenſio, per quam feudum, revera & actualiter, in Vaſallum transfertur. 2. *F.* 2. *pr.* Abuſiva eſt, quæ fit ſine corporali apprehenſione feudi, dum Dominus ſolennitatis cauſſa coram teſtibus, ſignum quoddam vel annulum vel haſtam, vel aliud quid corporeum adhibet, dicens ſe inveſtituram facere. 2. *F.* 2. *pr.* Fit itaque inveſtitura, vel cum rei feudalis traditione, quam vulgò vocant propriam, vel ſine ea traditione, quam abuſivam appellitant. Licet etiam nonnulli caſus inveniantur quibus abuſiva inveſtitura rei feudalis Dominium actu transferat, qualis eſt (1) ſi res eſt præſens & in conſpectu, eo tempore quo iſta inveſtitura abuſiva celebratur *arg. l.* 1. §. *ſi juſſerim* 21. *de acquir. poſſ. arg. l.* 18. *§.* 2. *ibid.* (2) Si Vaſallus tempore inveſtituræ rem hanc detineat. *arg. §.* 43. *de rer. div. & acquir. rer. dom.* fingitur hic res per fictionem brevis manus ex priori cauſa reſtituta & poſteriore denuo tradita & ad hunc caſum forſan non incommodè refertur inſigne exemplum in Inſtrumento Pacis Oſnabruggenſis occurrens. *Cæſarea enim Majeſtas de conſenſu Electorum, Principum & Statuum Imperii cumprimis Intereſſatorum, vigoreque*

goreque præſentis tranſactionis concedit Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ & futuris ejus heredibus ac ſucceſſoribus Regibus, Regnoque Sueciæ aliquot ditiones pleno jure in perpetuum, & immediatum Imperii ſtatum, art. X. VI. 2. 3. in fin. 6. (3) ſi res in feudum conceſſa ſit incorporalis. *Andr. de Iſern. c. 1. pr.* (4) ſi Dominus ſolenni ritu & celebrans inveſtituram, dicat expreſſe vaſallo, ut vadat in poſſeſſionem feudi 2. *F.* 33. His enumeratis caſibus & poſſeſſio & feudi dominium in Vaſallum per inveſtituram abuſivam transfertur.

VI.

Fit inveſtitura tam propria quam abuſiva, vel de feudo novo vel antiquo 2. *F.* 3. 2. *F.* 32. 2. *F.* 91. *Hattyſ. c.* 9. Hæc quæ fit de feudo veteri, modus feudum acquirendi non eſt, ſed feudi jam antea acquiſiti confirmatio & inveſtituræ renovatio. Illa vero tantum eſt propriè inveſtitura, eaque iterum vel ſimultanea, vel non ſive ſingularis. 2. *F.* 12. 2. *F.* 18. Simultanea eſt, qua plures de uno eodemque feudo, ſimul & communiter inveſtiuntur 1. *F.* 1. *§.* 2. *verſ. quod & ſi communiter* 1. *F.* 8. *§. fin. in fin.* 1. *F.* 14. §. *fin.* 2. *F.* 12. & 18. Et hinc facilè ſimul conſtat quid ſit ſingularis inveſtitura quare ejus deſcriptionem hic addere ſuperſedebimus. Prior iterum vel fit ſimpliciter, vel cum pacto mutuæ ſucceſſionis. Si prius, alter alteri non ſuccedit, ſed

ſed feudum uno Vaſallo cum maſculis deſcendentibus mortuo, ad Dominum revertitur. Sin poſterius, Vaſallo ſine filiis defuncto, ſuperſtes ſimul inveſtitus, in partem defuncti ſuccedit, *per tx.* 2. *F.* 12. & 18. Moribus Saxon. aliud genus ſimultaneæ inveſtituræ invaluiſſe, die geſambte Hand / oder die ſämbtliche Belehnung tradit *Hartm. Piſtor. qu.* 20. *num.* 5. 6. *Berlich. p.* 2. *concl.* 53. aliique Quando duo quidem ſimulde eodem feudo inveſtiuntur, verum ita, ut unus tantum id habeat & poſſideat, ad alterum vero non aliter, quam altero ſine heredibus, ex corpore ſuo deſcendentibus, defuncto, devolvatur.

VII.

Hæc de origine, definitione & diviſione paucis dicta ſufficiant. Proximum erit ut conſideremus perſonas, quæ aliquem de feudo inveſtire, & quæ inveſtiri poſſint. Inveſtire autem aliquem in feudo poſſunt, qui ſunt pleni rerum ſuarum Domini, quique ex certa ratione præſunt bonis Imperii, Eccleſiæ, aliisque univerſitatibus, & alienandi habent poteſtatem 2. *F.* 3. *pr.* 1. *F.* 1. & 1. *F.* 7. *arg. l.* 6. *C. de reb al. non alien.*

VIII.

Jam autem illæ perſonæ, vel ſunt Seculares vel Eccleſiaſticæ, inter Seculares primum locum obtinet Imperator, qui ſolet inveſtire in Regalibus, cumque iis una dignitatem Regalem vel Nobilita-

bilitatem ijs cohærentem conferre. Primus omnium fuit Conradus, qui præter adminiſtrationem, dominium quoddam & jus ſuperioritatis in provincias, quas antea Duces adminiſtrabant, jure feudi coactus fuit concedere Henrico, cognomine Aucupi, ex familia Saxonica oriundo, & poſtea Imperatori facto, initio ſeculi X. Neque enim aliud remedium ſupererat, quo ſibi Henricum, potentiſſimum illum Saxoniæ Ducem, ad fidem exhibendam devinciret, de quo *VVitichindus lib.* 1. ita ſcribit, *Primum Henricum libera poteſtate regnaſſe in Saxonia* : cui calculum adjicit *Rhenanus l.* 2. *Primus ſub veteribus liberæ poteſtatis Dux fuit in Saxonia Henricus Pater Ottonis, qui poſtea Germanico præfuit regno. Idque eam ob cauſam ut Sclavinos arceret. Diligentius autem cuſtodiuntur, quæ propria ſunt.* Ex eo tempore ſubſequentes Imperatores idem fecerunt, & Duces atque Comites potentiores, de provinciis quas hactenus tantum jure adminiſtrationis tenebant, inveſtierunt. Licet hoc inſuper negari vix poſſit, jus αὐτοκρατορίας Duces & Comites in ſuis provinciis aliis etiam modis, uti emtione venditione, ac profuſa Regum liberalitate ſibi acquiſiviſſe. Magnif. Conring. *in diſp. de Duc. & Com. Imp. th.* 22. Qua igitur tempeſtate mos ille de Regalibus inveſtiendi receptus videatur, ex dictis apparet,

ret, qui poſtmodum inſequentibus ſeculis uſque ad noſtra tempora à ſingulis Imperatoribus continua ſerie uſurpari fuit ſolitus. Adeo ut adhuc hodie Imperator eadem polleat poteſtate & utatur. Ubi tamen quædam diſtinctio inter feuda Regalia adhibenda erit, dividendo ea in Electoratus (quorum alii Seculares alij Eccleſiaſtici) & feuda Regalia reliqua. Quod Seculares Electoratus attinet, alteri hodie neceſſario ſunt conferendi, quando vacantes fiunt, juxta A. B. *tit.* 7. Rationem autem hujus A. B. fundatam eſſe in publica utilitate, ne numerus Electorum, cum variis imperii incommodis deminuatur, volunt *Buxtorff. diſſert. ad A. B. th.* 87. *tit.* 1. *Arum. diſcurſu* 4. *ad A. B. th.* 16. De reliquis vero feudis Regalibus ſi aperta fuerint; uti Ducatus, Comitatus, Marchionatus. &c. alij rurſus non ſunt inveſtiendi, ſed illa in uſum imperii ſunt ſervanda. *Capit. Carol. V.* §. 9. *Ferdinand.* 1. §. 9. *Maximil. II.* §. 6. *Rudolph. II.* §. 6. *Capit. Leopoldi.* §. 12.

IX.

Hactenus dictum fuit quod Imperator de feudis Regalibus Secularibus & olim, & adhuc hodie inveſtire ſoleat. Nunc videndum breviter an & qualem poteſtatem exerceat circa inveſtituram feudorum Regalium Eccleſiaſticorum, in quibus inveſtiri ſolent Epiſcopi & alij Principes Eccleſiaſticis. Quam rem ut paulo altius repetamus, primus omnium fuiſſe

iſſe fertur Bruno Epiſcopus Colonienſis, cui ſecularis poteſtas, & Regale feudum attributum ab Ottone Magno, fratre ſuo, circa medium ſeculi X, oblato ipſi Lotharingiæ Ducatu, qua de re ita VVitichindus. *Brunonem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem, ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, cum Samuelem Sanctum, & alios plures Sacerdotes pariter legamus ac judices.* Occaſio verò, quare ipſi, aliisque Epiſcopis ſecularis poteſtas tributa, hæc eſt. Cum enim ipſis ampliſſima bona à Carolo Magno ejuſque ſucceſſoribus donata eſſent, iique magnâ dignitate atque auctoritate apud omnes valerent, quæ indies magis magiſque creſceret, Eccleſiaſtico munere ſoli contenti eſſe non poterant; accedebat quod Epiſcopi, ex Ducum & Comitum ſtemmatibus oriundi conſtituerentur: qualis etiam fuit Bruno, cumque illi primitus collata poteſtas ſecularis, iſque de feudo Regali inveſtiretur, facile hoc ab aliis poſtea in exemplum tractum eſt. Hac etiam tempeſtate Ottoni Magno, ejuſque ſucceſſoribus Leonem Papam cum toto clero ac Populo contuliſſe dicitur facultatem eligendi Pontificem & inveſtiendi Archiepiſcopos & Epiſcopos, uti refertur in *diſt.* 63. *c.* 23. ita, ut niſi Epiſcopi à Rege laudentur & inveſtiantur à nemine conſecrentur.

X.

Hoc jus inveſtiendi progreſſu temporis Impera-

toribus Pontifices noluere concedere, exque eorum numero præcipuè fuit Gregorius VII. alias Hildebrandus dictus, præſertim temporibus Henrici IV. & V. Unde longa certamina poſteri Imperatores cum Pontificibus habuere. *Crantz. lib. 3. metrop. c.* 33. Tandem conventum inter Paſchalem Papam & Henricum V, ut Imperator cederet inveſtituras Eccleſiaſticas Pontifici, Regalia verò Epiſcopi dimitterent. *Goldaſt. tom.* 1. *conſt. Imp.* Recuſantibus hoc facere Epiſcopis, iisque inſurgentibus Papa, iterum Imperatori inveſtituras Eccleſiaſticas per virgam & annulum ipſe conceſſit, teſte *Ott. Friſing. chron.* 17. *c.* 14. *Gotfr. Viterb. Chron. p.* 17. *in Henrico V.* donec ſucceſſu temporis prædictus Henricus V. Papæ reſiſtere deſtitit, eique inveſtituram Eccleſiaſticam conceſſit, reſervatâ ſibi tantum inveſtiturâ de Regalibus, ſceptro expediendâ. Vnde feudum Eccleſiaſticum dicitur Scepterlehn. *vid. Henr. conſt. de elect. & inveſt. Epiſcop. & Abbat. in comitiis VVormat. Anno.* 1121. *apud Goldaſt. tom.* 1. *Ott. Friſing. chron. l.* 7. *c.* 16. Cum vero ſubſequentibus temporibus Papa nimis extenderet poteſtatem ſuam in conſtituendis Epiſcopis, tandem inter Fridericum III. & Nicolaum V. Pontificem circa medium ſeculi XV. de conſtituendis, eligendis & confirmandis Epiſcopis certa inita ſunt pacta, quæ vulgo appellantur Concordata Nationis

onis Germanicæ, & hæc quidem ſic ſatis religioſè (benè an malè alii dijudicent) fuerunt obſervata, uſque dum ſeculo XVI. religio Catholica à multis & claſſicis erroribus repurgaretur. Ex eo enim tempore Auguſtanæ confeſſioni addicti, confirmationem Pontificis in feudis Eccleſiaſticis flocci-pendentes, planè non petierunt, licet Pontificii eam ob cauſam illos pro veris Epiſcopis non agnoſcerent. Quid autem noviſſimè de iis in Pacificatione Oſnabrüggenſi, ſit conſtitutum addam hic ex ejuſdem articulo 5. §. 20. cujus verba ita ſe habent *Electi aut Poſtulati in Archiepiſcopos, Epiſcopos aut Prælatos Auguſtanæ confeſſioni addicti, à Sacra Cæſarea Majeſtate, poſtquam intra annum electionis aut poſtulationis ſuæ fidem fecerint, & juramenta Regalibus ſueta feudis præſtiterint, abſque ulla exceptione inveſtiantur, ultraque taxæ ordinariæ ſummam, inſuper ejusdem dimidium pro infeudatione perdant: iidem aut ſede vacante capitula, & quibus adminiſtratio cum iis conjunctim competit, ad univerſales æque ac particulares Deputationum, Viſitationum, Reviſionum aliosque conventus Imperiales, literis ſolitis evocentur, & ſuffragii jure fruantur, prout quisque Statuum ante Religionis diſſidia eorum partium particeps fuit. Quæ vero & quot perſonæ ad ejusmodi conventus mitti debeant, de eo Præſulibus cum Capitulis & Conventualibus ſtatuere liberum eſto. De titulis Principum Eccleſiaſticorum ex Auguſtana confeſſione*

one ita convenit, ut, abſque tamen præjudicio ſtatus & dignitatis, titulis Electorum aut Poſtulatorum in Epiſcopum, Archiepiſcopum, Abbatem, Præpoſitum inſigniantur. &c. De Electoralibus Eccleſiaſticis hoc adhuc notandum venit, vacantes ſi fiunt, Capitulum alium Archiepiſcopum eligit, quem Pontifex confirmat, Imperator vero ipſi Regalia confert, & eum inveſtit, promiſſa prius fidelitate, idque obtinere volunt ex ſpecialibus Friderici III. Concordatis, cum Pontifice Nicolao V. initis. *Rumelin. ad A. B. diſſ. 7. add. a.*

XI.

Quod reliquos ſeculares attinet præter Imperatorem, illi de rebus feudalibus minus regalibus inveſtire poſſunt, modò habeant legitimam rerum ſuarum adminiſtrationem, & alienare res ſuas non prohibeantur. 2. *F.* 3. *pr.* nec differentia ſexus, conditionis aut dignitatis attenditur. Ita fœmina poteſt alteri concedere feudum eumque inveſtire. 1 *F.* 1. *pr.* 1. *F.* 3. 1. *F.* 6. 2. *F.* 91. *Roſenth. c.* 3. *concl.* 3. *n.* 4. quoniam res proprias habere, & liberè eas adminiſtrare poteſt, & non minus quam viri in alios beneficia conferre queunt. *l.* 31. § 1. *de donat.* nec iis donantibus per SCtum Vellejanum ſuccurritur. *l.* 4. §. 1. *ad SCtum Vell.* Poteſt quoque ſibi juriſdictionem nempe feudalem acquirere, eamque per alium exercere. Imo interdum & femi-

feminam ipſam jurisdictionem exercere poſſe aſſerit *c. 4. extr. de arbitris.* videatur *Finckelth. D. 5. contr. 14.* Niſi ex forma ſtatuti alienare prohibeatur, & hinc etiam de feudo inveſtire nequit *Schultz. ſyn. feud. c. 4. n. 28. Schneidew. epit. feud. p. 3. n. 74.* Quod tamen potiſſimum obtinet Iure Saxon., ubi conſenſum mariti vel curatoris adhibere tenetur. *gloſſ.* Landrecht. *lib. 1. art. 3. & gloſſ.* Weichbild. *art. 26. n. 46.* Niſi ſint feminæ Illuſtres, uti docet *Carpzov. p. 2. c. 15. d. 9. Schultz. d. l. n. 28.* Inveſtire itidem poſſunt de feudo ruſtici, & alii plebej, eoque actu conſequuntur jurisdictionem feudalem, *arg. 2. F. 55. & 1. F. 7. Roſenth. c. 3. concl. 2. lit. c. Finckelth. D. 5. contr. 13.* quamvis nonnulli Doctorum diſſentiant adducentes *tx. 1 F. 1. pr.* inter quos eſt *Duarenus in conſuet. feud. c. 6. n. 9. Fachin. 7. contr. 74.* aliique. Item Procurator qui habet alienandi poteſtatem & ſpecialiter ad id conſtitutus vel cum libera *arg. l. 60. ſ. f. mandati. Diſſ. Finckelth. D. 5. contr. 12.* reliqui procuratores non poſſunt & prohibentur *per l. 63. de procurat.* Si civitas vult aliquem in bonis civitatis publicis inveſtire, debet hoc fieri cauſa cognita, decreto interveniente, & conſenſu eorum penes quos eſt *τὸ κύριον arg. l. ult. C. de vend. reb. civ. Nicol. Loſæ. de jure univerſ. p. 3. c. 5.*

XII.

Progrediendum eſt ad perſonas Eccleſiaſticas

cas: uti ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Abbates & alij, ij inveſtiunt in feudis Eccleſiaſticis. 1. *F.* 1. *pr.* cum hac tamen diſtinctione. Si inveſtitura fieri debet in re Eccleſiaſticâ, hactenus nondum infeudari ſolitâ, non aliter poſſunt inveſtire, quam neceſſitate urgente, causâ cognitâ & accedente conſenſu Capituli 1. *F.* 6. *c. un. extr. de reb. eccleſ. non alien.* In bonis vero infeudari ſolitis, ſive antiquitus jam in feudum conceſſis, conſenſu Capituli ne quidem erit opus aliiſque ſolennitatibus. 1. *F.* 6. *c ult. x. de feud.* Attendenda tamen hic inprimis diverſorum locorum conſuetudo, recte monente *Dn. Struv. in ſynt. jur. feud. c. 5. th. 9.* Sede vacante eadem obtinent in Capitulo, quæ de Prælato dicta ſunt, ita ut hoc poſſit rem infeudari ſolitam in feudum concedere Doctores *add. c. 2. x. de feud.* Et ſic breviter abſolvimus perſonas quæ poſſunt inveſtire.

XIII.

Qui vero non habent liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, legibusque res ſuas alienare prohibentur, illi non poſſunt aliis feuda concedere, nec alios inveſtire. Tales ſunt impuberes, ſurdi, muti, minores, mente capti, furioſi, prodigi & alij. Hi quamvis tutorum vel curatorum conſenſum adhibeant, non poſſunt feuda legitimè conſtituere, nec alios inveſtire, niſi ſolennitates

â legi-

à legibus requiſitæ adhibeantur, quales ſunt. 1. ut fiat ob urgentem neceſſitatem 2. cauſſa cognita & 3. decreto Magiſtratus interveniente *arg.* 2. *F.* 3. *Schrad. tr. feud. p.* 4. *c.* 1. *n. ult. arg. l* 1 *l.* 8. *de reb. cor. qui ſub tut. vel cur. ſunt & arg. t.t. C. de prædiis & al. reb. min. ſin. decr. non al.* Monachi vero quoniam perinde ut ſervi habentur, feuda dare nequeunt, cum nulla poſſint habere bona. *Nov.* 5. *c.* 5 *auth. ingreſſi. C. de SS. Eccleſ. auth. nunc autem C. de Epiſc. & Cler. c.* 2. *&* 6. *x. de ſtat. mon.* Filiifam. in peculio adventitio ordinario non poſſunt conſtituere feudum, nec inveſtire ſine conſenſu patris *arg. l. ult. §.* 5. *in fin. C. de bon. quæ lib.* 2. *F.* 3. & quidem ex hac ſpeciali ratione, quoniam pater eſt ſimul adminiſtrator iſtius peculii ejuſque uſumfructum habet. De peculio profectitio plane inveſtire nequeunt, quoniam non ſunt ejus domini. *arg. l.* 6. *C. de bon. quæ lib. §.* 1. *per quas perſon. cui acquir.* Reliqua peculia caſtrenſia nempe vel quaſi *arg. l.* 15. §. 1. *de caſtr. pec. l.* 2. *ad SCtum Maced. Vult. l.* 1. *c.* 3. *n.* 5. item adventitia extraordinaria, quoniam de iis inter vivos diſponere poſſunt, poſſunt etiam in feudum dare, & de ijs inveſtire. *arg. l. ult. pr. l.* 6. §. 2. *l.* 7. *Cod. de bon. quæ lib. arg. N.* 117. *c.* 1. *§.* 1.

XIV.

In feudis inveſtiri poſſunt omnes ij, quibus non eſt interdictum rerum commercium, & qui

ſervi-

ſervitia præſtare queunt tam per ſe quam per ſubſtitutos, 2. *F.* 3. verbis: *Perſonam inveſtituram accipientis non diſtinguimus.* Dominus enim inveſtiens incapaces ad ſervitia militaria præſtanda, tacitè admittere videtur, ut ea ipſi per ſubſtitutos exhibeantur. Tales ſunt impuberes, minores, furioſi, prodigi, ſurdi, muti, cæci. *Roſenth. c. 3. concl. 8.* Item feminæ, 2. *F.* 3. *in fin.* Nec in accipiente dignitas aut conditio attenditur, ita inferior ſuperiorem, & ſuperior inferiorem inveſtire poteſt, item Monachus feudum ut ſervus acquirere valet *arg.* 2. *F.* 3. Hodie ſublata ſervitute Romana, illos ſubditos, quos proprios homines appellamus Germ. Leibeigene Leute ſive laſſos, feuda non tantum accipere & inveſtiri, ſed etiam illa indiſtinctè pro ſe retinere poſſe ſtatuit *Roſenth. c. 3. concl. 6. n. 7. lit. h. Vult.* 1. *F.* 4 *n. 7. fin. Schultz. ſyn. feud. c. 5. n. 9.* Neque etiam in accipiente ætatis aut qualitatis ratio habetur. *VVeſemb. de feud. c. 5. n.* 1. *Borch. de feud. c. 5. n.* 44. *Vult.* 1. *F.* 4. *n.* 5. *Rittersh. part. feud. l.* 1. *c. 6. q.* 1. Qualis eſt infans & ſenex 2. *F.* 3. *Bocerus de inveſt. feud. c. 3. n.* 135. Jure Saxon. vero ſtatutum, neque Clericos, neque feminas, neque mercatores, neque ruſticos imo omnes quorum pater avus vel proavus non fuere Nobiles, feuda nova acquirere non poſſe, nec inveſtiri, & ſi quis tales de feudo ſciens inveſtiverit,

rit, valere quidem illam inveſtituram, quam diu Dominus & Vaſallus vivit, ſed horum alterutro mortuo etiam heredibus relictis evaneſcere, & iterum vel ad Dominum vel ejus heredes reverti. Lehnrecht *art.* 2. *verſ.* welcher Herr aber. *Schrad. p.* 4. *c.* 3. *n.* 8. *Schultz. ſyn. feud. c.* 8. *n.* 4.

XV.

Hæc de perſonis dicta ſufficiant, ſequuntur ordine conſiderandæ res in quibus inveſtitura fieri poſſit. Quæ enim res plane non ſunt in commercio hominum, vel ſingulari quadam ratione alienari prohibitæ, in ijs inveſtitura fieri nequit. Quales ſunt res ſacræ & religioſæ *arg. §.* 8. *de R. D. arg. l.* 21. *C. de SS. Eccleſ. auth. præterea C. eod. Nov.* 46. 67. *c.* 4. res communes §. 1. 2. 6. *de R. D.* res jure gentium publicæ *§.* 2. *de R. D. l.* 5. *de R. D.* res univerſitatis *§.* 6. *de R. D. §. f. de emt. vend.* ubi tamen obſervandum, quod in his non poſſint inveſtiri, ſi hoc univerſitati noceat, ſin autem non pariat aliquod detrimentum univerſitati, & aliis uſum præbent, poſſe. *Dn. Struv. ſynt. jur. feud. c.* 6. *aphor.* 5. res quæ ſpeciali ratione alienari prohibitæ 2. *F.* 3. *§.* 1. inter has referuntur res immobiles inæſtimato in dotem datæ *arg. l.* 1. §. 1. *arg. l.* 4. *de fund. dot.* item res pacto alienari prohibitæ *arg. l. ult. de reb. alien. non alien.* & res fideicommiſſo ſubjectæ *arg. l. fin. §.* 2. *& Auth. res quæ. C. commun. de*

 leg.

leg. Ex prohibitione Vrbani II. in titulis inveſtitura fieri nequit 1. *F. 6. pr.* Sunt autem bona pro titulo Clericis aſſignata, ſive ad neceſſariam ſuſtentationem Clericorum deſtinata. Jure Canon. vetitum ne in decimis Laici inveſtiantur *c. 15. c. 17. 19. extr. de decim.* Hodie vero noſtri Prælati ex juſtâ causâ ad utilitatem Eccleſiæ poſſunt Decimas Laicis conferre *Carpz. Iuriſpr. conſiſt. l. 1. d. 126.*

XVI.

Ita vidimus res in quibus inveſtitura fieri nequit, conſiderandæ jam erunt res in quibus fieri poſſit. Quæ enim contra res ſunt in commercio hominum & Vaſallo poſſunt aliquam afferre utilitatem, quarumque alienatio vel lege vel conſuetudine, item pacto aliquo ſpecialiter non eſt interdicta, ſuntque vel natura, vel civiliter immobiles, in iis perſonæ habiles inveſtiri poſſunt 2. *F.* 1. *in fin.* Quales rès ſunt (1) ſoli 2. *F.* 1. 2. *F.* 22. *Schrad. de feud. p. 3. c.* 2. *n.* 1. *Borch. c.* 6. *n.* 1. *Roſenthal. c.* 4. *concl.* 1. *n.* 1. Nec diſtinguendum erit inter res ſingulas qualis eſt manſum 1. *F.* 4. §. 5. hortus, area, arvum *arg* 2. *F.* 1. terra 1. *F.* 28. vel univerſas: ut Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus. 1. *F.* 14. 2. *F.* 10. 2. *F.* 55. *arg. c.* 17. *in fin. de Elect. & Elect. poteſt. in 6to.* Item in territorio alicujus plebis. 2. *F.* 10. *Schrad. p. 3. c. 2. n. 4.*

XVII.

Porro (2) res ſolo cohærentes 2. *F.* 1. *Schrad.*

p. 3. c. 2.

p.3.c.2.n.54. Borch.de feud.c.6.n.1. Roſenth.c.4.concl.1. n.1. Dicuntur autem ſolo cohærere ea, quæ rei fixæ vel immobili ita cohærent, ut vel illius pars ſint, vel omnino non, vel ſaltem non utiliter, neque b.f. intuitu, ab ea ſeparari poſſint. *Schrad.p.3.c.2.n.55.* ita poteſt quis inveſtiri de caſtro 1.*F.*4. §.4. quo tamen ſimpliciter conceſſo, jurisdictio non conceſſa intelligitur, cum in dubio non caſtro ſed perſonæ cohæreat *Schrad.p.3.c.4.n.17. Roſenthal. c.5. concl.6.* De domo & ædificio *arg.2.F.1.* hoc conceſſo omnia quæ illi cohærent, vel adfixa ſunt, item ad utilitatem vel uſum ejus perpetuo deſtinata, una veniunt *arg.l.13.§.fin.& ſeqq.de act.emt.vend.* De molendinis tam terreſtribus quam pneumaticis, & navalibus, quoniam ſolo revera cohærent, nec alias uſum præſtare poſſunt, niſi adfixæ, idcirco revera pro immobilibus habentur. *arg.l.21. de inſtr. & inſtr. leg.* item de jure bannali vulgo die Zwangmühlen *Roſenth.c.4.concl.4.n.2.* De ſylva ſ. ſeorſim ſive prædio cohæreat *arg.l.7.§.5. quod vi aut clam* De fructibus pendentibus ſeu ſolo cohærentibus 2.*F.1.* qui dum ſolo cohærent pars fundi ſunt. *l.44. de R.V.*

XIIX.

Porro (3) res quæ civiliter ſunt immobiles. Hujus generis eſt pecunia de Camera appellata German. Cammergeld oder Mangeld 2.*F.1. Borch. de*

feud. c.6. n.13. Vinum frumentum, oleum, ex penuario, horreo vel cella Principis de Gavena vocatum *2. F.1.* actiones pro rebus immobilibus competentes, quoniam ſequuntur naturam illarum rerum pro quibus comparatæ *Borch, c. 6. n.* 10. Servitutes prædiales, tam ruſticæ quam urbanæ *arg. 2. F.1. Schrad. de feud. p.3. c.2. n.55. & c.4. n.3.*

XIX.

Non ſolum autem de privatis quorundam, verum etiam de publicis imperii bonis & regalibus inveſtiuntur. Huc pertinet jus imponendi tributa, jus percipiendi commoda ex mari & fluminibus publicis, jus viarum publicarum *2. F. 56.* Jus vectigalium ſive telonii *2. F. 56.* Curſus poſtarum qui per Germaniam ſunt ordinati die Ordinari Poſten quos ſolus Imperator conſtituit *Lim. lib.2. jur. publ. c.9. n.135. Et Clapmarius de arcan. rerump.* refert *l.1. c.21. Jus poſtarum ſolus Imperator habet, adeoque non ita pridem Duci cuidam Germaniæ, qui publicos curſus in Italiam & Belgium diſpoſuerat, ſevere interdixit.* Hoc tamen non ita eſt intelligendum, quaſi Status Imperii non poſſint jus poſtarum exercere in ſuis provinciis & Ducatibus. Ut paucis me expediam tam majora quam minora regalia in feudum dari poſſunt, & de ijs inveſtiri. *2. F. 56.*

XX.

Vidimus hactenus perſonas tam inveſtientes

tes quam illas quæ inveſtiri poſſunt, nec non res in quibus inveſtitura fieri vel non fieri queat. Paucis modus inveſtiendi perluſtrandus erit Obſervandum autem omninò erit, quod modus inveſtiendi de feudo ſit duplex, ex duplici inveſtituræ quaſi ſpecie promanans. Interdum enim abuſiva cum verâ conjungitur, interdum tempore ſeparantur. Si poſterius fit, ad abuſivam ſequentia requiruntur 1. à parte Domini, ut is Vaſallo promittat utile rei feudalis dominium, eamque promiſſionem 2. Solenni aliquo actu confirmet, qui alicujus ſymboli, uti haſtæ, baculi, gladij, annuli, vexilli, vel alterius cujuſdam rei traditione peragitur 2. *F.* 2. & nihil refert, utrum ipſe Dominus, an Procurator ſpeciali mandato inſtructus hanc inveſtituram expediat 2. *F.* 3 *pr. verſ. ſed utrum.* Regalium tamen feudorum inveſtitura regulariter per ipſum Dominum, interdum etiam per vicarium ejus; aliorum vero frequentius per alium Principis v. gr. Cancellarium fiunt **Ordn. des Regim.** de A. 1521. § **behalten uns vor.** §. 5. *in verbis* **alßdenn ſollen und wollen wir hieraus Befehl thun.** Alicubi certus miniſter, quem vocant **dem Lehnprobſt** eſt conſtitutus, cujus officium eſt nomine Principis de feudo inveſtire, & hæc à parte Domini prius ſunt perficienda. Quibus peractis à Vaſallo ſequentia exiguntur (1) is vel ipſe vel

ejus

ejus procurator ſpeciali mandato inſtructus inveſtituram ſuſcipit. 2. *F.* 3. §. 1. *verſ. ſed utrum ipſe vel alius.* (2) ille Domino quod eſſentiale feudi eſt fidelitatem, & niſi francum ſit, præſtationem ſervitiorum juratò promittit, quod juramentum fidelitas vocatur 2. *F.* 3. *in fin.* 2. *F.* 4. ejuſque formula hodie adhuc in omnibus ferme uſitata, proponitur 2. *F.* 7. ipſa autem inveſtitura ſolet præcedere fidelitatem vel præſtationem juramenti, niſi jam tum præceſſerit, vel juramentum ipſi fuerit remiſſum. 2 *F.* 3, *in fin.* 2. *F.* 4. & 7. §. 1. Illud autem vel in propria perſona, vel per procuratorem ad id ſpeciale mandatum habentem, præſtari poteſt, qui eo caſu in animam ſui principalis jurat *arg.* 2. *F.* 3. *in verbis, ſed utrum* niſi conſuetudo loci, vel ipſe Dominus præſentiam Vaſalli deſideret. *Hartm. Piſtor. l.* 2. *qu.* 47. *n. ult.* Quin & neceſſe eſt interdum, ut per Procuratorem juretur, ſi integra Univerſitas, uti eſt Civitas, Collegium, aut ſimile corpus inveſtiatur. Neque enim tum convenit ſingulos cives jurare, ſed nomine univerſitatis ipſius Syndicum, & ſolet, ſi ejuſmodi Collegiis feudum conceditur, quidam interponi, qui ipſius nomine juret, quo defuncto, renovatio petenda. Germ. ein Lehnträger. Hoc adhuc ſingulare eſt in impuberibus, & minoribus, ſi illis feudum datur, tutor vel curator, eorum nomine

non

non jurat, ſed juramenti præſtatio uſque ad annos majorennitatis differtur. 2. *F.* 26. §. 4. *verbis: ſi minori datum fuerit feudum & §. 5. verbis: ſi quis decesſerit.*

XXI.

Præterea ad hanc inveſtituram abuſivam ſolennitatis cauſa adhibentur teſtes, & duo ſufficiunt 2. *F.* 58. *ſ. quod autem.* 2. *F.* 2. *verbis: quæ ſiquidem ab illo fiat, qui alios habet Vaſallos, ſaltem coram duobus ex illis ſolenniter geri debet.* Teſtes vero hi debent eſſe idonei; h. e. debent eſſe maſculi, liberi, convaſalli, & pares curiæ. 1. *F.* 26. 2. *F.* 2. 2. *F.* 58. *ſ.* 1. 2. *F.* 32. etſi forſan peregre abſunt expectandi erunt 2. *F.* 33. *pr. in verbis: quia etiamſi abſint*, niſi forſan longius abſint *arg.* 1. *F.* 26. Ratio autem cur ad novæ inveſtituræ teſtificationem deſiderentur teſtes Convaſalli ejuſdemque Curiæ Pares hæc eſſe videtur, quia feudorum placita ad novæ inveſtituræ actum, teſtes non tam probationis, quam ſolennitatis gratia deſiderant. 2. *F.* 2 *pr.* 2 *F.* 32. *in fin.* Si vero non habeat, extraneos adhiberi poſſe, dubio vacat modo alias ſint teſtabiles ac idonei teſtes 1. *F.* 26. *verbis: teſtes vero.* 2 *F.* 33. 2. *F.* 58. *ſ.* 1. & hoc non ſolum in Laicis, verum etiam in Clericis obtinere teſtatur. *alleg. tx.* 2. *F.* 32. 1. *F.* 26. Feminæ verò, quia in ijs rebus quæ ſolennitatem requirunt, ut in inveſtitura; teſtes adhiberi non poſſunt. 2. *F.* 32.

arg l. 20. §. 6. *qui teſtam. fac. poſſunt.* Et has ſolennitates adhuc hodie eſſe in viridi obſervantia, patet ex literis inveſtiturarum, quibus addi ſolet. Dabey ſind geweſen die Veſte und Hochgelahrte/unſere Rähte und lieben getrewe N. N. und andere mehr der unſern gnugſahm glaubwürdige *Dn. Struv. ſynt. jur. feud. c.* 8. *aphor.* 5.

XXII.

Solent etiam, quemadmodum omni bonæ fidei negotio ita contractui feudali, & inveſtituræ abuſivè factæ, adjici pacta, quibus aliquid additur vel detrahitur naturæ feudi, non vero ipſa feudi eſſentia, puta fidelitas à Vaſallo præſtanda, immutatur, quorum tenor accuratè inſpiciendus & obſervandus 2. *F.* 2. §. *præterea ſi aliquis tenor præter communem feudi rationem in inveſtitura* 1. *F.* 8. *§. filia* 1. *F.* 14. *§. ult.* 2. *F.* 12. 2. *F.* 48. *&* 50. Quin & de contractu feudali, factâ inveſtiturâ, nec non pactis adjectis inſtrumentum conficitur, ut ipſa inveſtitura ejusque tenor eo facilius probari poſſit, illudque ſolet appellari breve teſtatum. 1. *F.* 2. §. 1. 1. *F.* 3. *&* 4. *init.* § 3. *&* §. 5. 2. *F.* 32. alibi publicum inſtrumentum 2. *F.* 2. *pr. verbis niſi per pares curtis.* Germanicè ein Lehnbrieff/ quod tamen non eſt de eſſentia inveſtituræ, quemadmodum pares curiæ ad ejus ſolennitatem neceſſario requiruntur 2. *F.* 32. ſed melioris probationis gratia con-

tia confici ſolet 1. *F.* 2. *ſ.* 1. 1. *F.* 3. 4. 2. *F.* 2. 2. *F.* 25. *in fin.* Ut autem hæc ſcriptura de jure feudali plenè probet, duorum vel trium parium curiæ ſubſcriptione debet eſſe corroborata 2. *F.* 32. & 58. §. 2. hodiè ejuſmodi parium curiæ ſubſcriptio non adhibetur, ſed ſufficit inſtrumentum ſigillo Domini confirmatum eſſe, eoque exprimi Pares curiæ actui interfuiſſe. *Schrad. p.* 5. *c.* 2. *n.* 12.

XXIII.

Propria inveſtitura fit quando ipſi Vaſallo traditur poſſeſſio rei feudalis, quæ ut plurimum, quia feuda in rebus immobilibus conſiſtunt, fit per inductionem in feudum: interdum per fictam traditionem; qualis eſt (1) ſi Dominus coram Paribus Curiæ dixerit vade in poſſeſſionem feudi, vel tene illud pro feudo. 2. *F.* 33. (2) ſi res jam tum ſit apud Vaſallum cui tradenda, & Dominus præcedente inveſtitura conſentiat, ut is tanquam feudum illam rem retineat. *arg.* §. 43. *Inſt. de Rer. div.* aliisque modis, videatur ſupra th. 5. In rebus vero incorporalibus loco traditionis patientia & uſus habetur. *arg. l.* 3. *pr. de uſufr. l. ult. de ſervit.* Quod ſi forſan abuſiva inveſtitura hanc traditionem non præceſſerit, opus eſt, ut illa, ejusque neceſſariæ ſolennitates, interveniant. Qua ſine feudum eſt nullum, & qui abſque ea nactus eſt poſſeſſionem, poteſt quidem eam retinere, quaſi nomine feudi,

in heredem vero jure feudi non transferre, 1. *F.* 25.

XXIV.

Facta inveſtitura abuſiva, oritur obligatio inter Dominum & Vaſallum, ita ut Dominus qui Vaſallum abuſivè inveſtivit, obſtrictus ſit ad eum proprie inveſtiendum, ſi penes Dominum ſit poſſeſſio: Sin vero penes alium ad eum juvandum, ut vacuam poſſeſſionem Vaſallus conſequatur 2. *F.* 7. §. *fin.* adeo ut non liberetur præſtatione ejus quod intereſt. 2. *F.* 3. ubi Feudiſta; *nulla*, ait, *inveſtitura debet ei fieri qui fidelitatem recuſat.* Vnde ſequitur à contrario ſenſu, quòd Dominus eum, qui fidelitatem facere paratus eſt, cogatur inveſtire. clarè 2. *feud.* 26. §. 5. *verb. ſi facta de feudo Schneid. de feud. p.* 4. *n.* 11. & 17. *Schrad. de feud p.* 9. *c.* 2. *n.* 17. *Borch. c.* 7. *n.* 8. *Roſenth. c.* 6. *concl.* 6. 7. 8. modo facultatem rei tradendæ habeat. Si vero non habet, ab ipſius quidem rei præſtatione immunis *arg. l.* 6. *C. de hered. vel ad vend. arg. l.* 1. *pr. l.* 11. §. 9. *de act. emt. arg. l.* 4. *C. eod. Roſenth. c.* 6. *concl.* 9. nihilominus tamen compelli poteſt ad præſtandum intereſſe, propterea quod res tradi non poſſit. *arg. l.* 1. *de act. emt.* id eſt: emolumentum omnè vel feudum æquivalens ejuſdemque bonitatis *VVeſemb. c.* 8. *n.* 15. vel pecuniam feudo æquipollentem *VVeſemb. c.* 8. *n.* 16. *Borch. c.* 7. *n.* 17. *Myŋſing. cent.* 4. *obſ.* 61.

XXV. Ex

XXV.

Ex hac igitur abuſiva inveſtitura, jus ad rem, non vero dominium utile nec poſſeſſio acquiritur. *Roſenth. c. 6. concl. 6. n. 7. Henr. Zaſ. tract. feud. c. 6. n. 6. Vult. l. 1. c. 10. n. 11.* Neque enim jure feudali diſpoſitum reperitur, absque traditione Dominium utile, ſive jus feudi transferri, monente *Dn. Struv. ſynt. jur. feud. c. 8. aphor. 9.* Hinc obſervanda neceſſario erit regula juris civilis, quod ſine traditione, vel eo quod loco veræ traditionis eſt, dominium aliudve jus in re, in alterum non transferatur. *l. 20. C. de pact. l. 3. de O. & A. l. pen. C. de. R. V.* Inveſtituram autem abuſivam nullam harum traditionum eſſe, indicant *tx. 2. F. 2. pr. 2. F. 7. § 1. 2. F. 26. §. ſi facta.* In his enim *txx.* inveſtitura abuſiva, à traditione poſſeſſionis, diſtinguitur.

XXVI.

Vt autem Vaſallus abuſive inveſtitus utile rei feudalis dominium, & poſſeſſionem conſequatur datur ipſi præcipue duplex actio. Aut enim ſtipulatione interveniente inveſtitura abuſivè facta eſt, & oritur actio ex ſtipulatu, aut nudo pacto & locum habet condictio ex moribus. *Andr. de Iſern. in præl. feud. col. 6. Schrad. de feud. c. 5. p. 2. n. 26.* Quæ utraque actio perſonalis

cta eſt, quia ex contractu feudali ſtatim & ab initio mutua quædam inter Dominum & Vaſallum obligatio naſcitur. *Schrad p.2.c.5.n.* 26. Nonnunquam etiam Vaſallus, interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis uti poterit. Cum enim Dominus per inveſtituram abuſivam licentiam concedat Vaſallo poſſeſſionem apprehendendi, poterit utique hic officium judicis implorare, ut in poſſeſſionem mittatur, ſi forſan Vaſallus, tertio feudum poſſidente, eoque contradicente, propria auctoritate ipſius poſſeſſionem ingredi nequit. Abſque hoc ſi fuerit tacita voluntas Domini, abuſivè aliquem inveſtientis, eſſe videtur, quod eidem voluerit conceſſiſſe poteſtatem feudi auctoritate propria apprehendendi. *Schrad.p.5.c.2.n.26. Borch.c.7.n.10. & ſeq. Iacob.de S.Georg.de feud. verbis inveſtivi talem &c. n.3.* modo nemo poſſideat *Carpz. reſp.* 8. *n.* 7. & 27. *n.*5. Quod etiam jure Saxon. ita obtinet. Lehnrecht. *c.*57. *verſ.* unterwindet ſich aber 2c.

XXVII.

Inveſtitura propriè facta, Dominus in feudo retinet proprietatem 2. *F.* 8. & 23. Ipſum autem Vaſallum habet obligatum ad fidem præſtandam 2.*F.*3. *in fin.*2.*F.*6. ubi enumerantur ea, quæ Domino à Vaſallo ſunt præſtanda. Inprimis autem Domino ad ſervitia exhibenda eſt obſtrictus 2. *F.* 23.55. *§. firmiter*, quæ ſervitia plerumque ſunt mi-

litaria

litaria 1. *F.* 5. *pr.* 19. 20, 21. 2. *F.* 12. 21. & 26. Et regulariter ipſe præſtare tenetur, niſi Dominus diſpenſet. 2 *F.* 23. *in fin.* 2. *F.* 55. §. 1. 2. *F.* 26. 2. *F.* 36. Et tum per ſubſtitutum exhibere poteſt, vel alias juſtum adſit impedimentum 2. *F.* 26. §. 5. vel niſi cauſſa ſit notoriè injuſta, vel Dominus excommunicatus aut bannitus ſit. Debet autem Dominum adjuvare contra omnes excepto Imperatore & antiquiore Domino 2. *F.* 28. 2. *F.* 55. *in fin.* Adverſus patrem vero aut patriam Domino auxilium ferre debet, quamvis hoc admodum durum ſit.

XXIII.

Hæc de jure Domini, jam de jure Vaſalli. Competit Vaſallo Dominium utile in feudo 2. *F.* 8. 2. *F.* 23. *in fin.* 2. *F.* 28. 32. 45. 55. Et ratione hujus vera ejus feudi poſſeſſio 2. *F.* 2. 8. *pr.* Nec non percipit ex feudo omnem utilitatem *Roſenth. c.* 8. *concl.* 2. *n.* 1. 2. *F.* 8. 25. 28. Et omnes acceſſiones & incrementa, quacunque etiam ratione obveniant 1. *F.* 4. §. 5. Etiam theſauros, niſi moribus quorundam locorum inter regalia conferantur, & tum ad eum, qui regalia tenet, ſpectabunt. Poteſt item Vaſallus feudum locare 2. *F.* 9. §. 1. Quoniam nullum jus in re in alium per locationem transfert. Item pignori dare commoditatem feudi, & hypothecam in ea

di immitti, ſi nulla alia bona Vaſallus poſſidet, uti teſtatur *Gail.* 1. *obſ.* 117. *Hartm. Piſtor.* 1. *qu.* 15. Nec non percipit & participat aliquid de ipſa rei proprietate, & poteſt uti tanquam Dominus 2. *F.* 8. 2. *F.* 43. Verum ita ne reddat feudum culpa ſua deterius 2. *F.* 8. 28. §. *ſi Vaſallus.* Hinc poteſt ſervitutem acquirere 2. *F.* 8. *pr.* non vero imponere: poteſt vindicare 2. *F.* 43. & ſe exceptionibus tueri 2. *F.* 43. De feudo litigioſo ſine aſſenſu Domini tranſigere 2 *F.* 26. §. *ſi vaſallus.* modo non fiat doloſè ſed ex juſta & probabili ratione 2, *F.* 43. nec agnatis nocere poteſt. *Roſenth. c.* 9, *concl.* 27. *n.* 14. Quoniam hi jure proprio in feudum ſuccedunt. Poteſt itidem illud certa ex ratione alienare, quæ tamen alienatio valdè reſtricta 2. *F.* 3. 9. 2. *F.* 38. 52. 55.. *Dn. Struv. ſynt. jur. feud. c.* 12. *aphor.* 9. Nec non extraneo ſub feudum conſtituere 2. *F.* 26. *ſ.* 1. quod Germ. vocant ein Afterlehn. Dominus præterea iterum Vaſallo obſtrictus eſt ad mutuam fidelitatem. 2. *F.* 6.

XXIX.

Actiones autem quæ pro feudo conſtituto Vaſallo dantur ſunt reales, qualis eſt utilis rei vindicatio 2. *F.* 8. Ait enim Feudiſta: *Rei per beneficium rectè inveſtitæ, id eſt, cujus poſſeſſio ipſi tradita eſt per inveſtituram, quæ dicitur recta ſeu propria.* Et competit hæc Vaſallo tam adverſus Dominum quam extraneum.

neum. (2) actio confeſſoria & negatoria, 2. *Feud.* 8. *init. verb. Rei autem*: illa ad ſervitutem feudo debitam aſſerendam; hæc ad ſervitutem, quæ injuſtè in illo prætenditur, negandam.

XXX.

Denique addendum erit, quomodo inveſtitura extinguatur, atque finiatur, & iiſdem fere modis finiri, quibus ipſum feudum, dubio caret. Amittitur autem feudum vel culpa Vaſalli vel ſine ipſius culpa. Sine culpa (1) morte Vaſalli cum moritur abſque ſucceſſoribus feudalibus. Quod ſi ſucceſſores adſunt, intra annum & diem à morte Vaſalli renovatio inveſtituræ eſt petenda 1. *F.* 22. 2. *F.* 24. 40. 52. *§. ult.* 55. *pr.* (2) Contraria conventione nempe quando Vaſallus Domino feudum refutat. 2. *F.* 9. 14. *&* 38. (3) Præſcriptione *arg.* 2. *F.* 26. §. *ſi quis.* 4. Quoniam cum præſcriptione acquiratur, ſequitur eodem quoque modo amitti *arg. l.* 35. *de R. I.* (4) Interitu rei feudalis *arg. l.* 1 *C. de jur. emphyt.* quoniam Vaſallus tantum reſpectu rei obligatur, qua extincta & obligatio extinguitur *arg. l.* 178. *de R. I.* (5) ſi ad certum tempus vel generationem certam Vaſallo feudum conceſſum. (6) Religionis ingreſſu 2. *F.* 26. *§. qui clericus* 2. *F.* 30. 2. *F.* 21. non vero vitio

ſtanda Domino 2. *F.* 36. nec obſtat 1. *F.* 6. *in fin.* *Carpz. p.* 3. *conſt.* 28. *def.* 8. *Roſenth. concl.* 28. *c.* 1. *&* *ſeqq.*

XXXI.

Porro videndum quomodo culpa Vaſalli amittatur feudum, & ſic inveſtitura extinguatur. Culpa Vaſalli conſiſtit vel in committendo vel omittendo. Committendo feudum amittit, quando quid facit, quod non facere debet. Nihil autem refert an culpam commiſerit Vaſallus, vel in perſonam Domini, vel in ejus res, vel in alium, vel in ſemet ipſum. In Dominum committit culpam (1) Si delator ejus fuerit *arg.* 1. *F.* 17. 2. *F.* 5. 6. *&* 24. §. *item ſi delator* (2) Si vitæ Domini inſidiatus fuerit vel veneno vel gladio 2. *F.* 24. *§. porro.* (3) Si Domino impios manus intulerit, 2. *F.* 24. (4) Gravibus vel inhoneſtis injuriis eum affecerit 2. *F.* 24. (5) Si cum hoſtibus Domini amicitias copulaverit. 2. *F.* 57 (6) Si ſecreta Domini manifeſtaverit 1. *F.* 17. (7) Sponſæ vel uxoris vel filiæ pudicitiam attentaverit, vel Dominum cucurbitaverit 1. *F.* 5. *§. item ſi fidelis.* 1. *F.* 17. *&* 21. *§. ſi quis.* 2. *F.* 24. §. *rurſus*, 38. *&* 57. extenditur hoc quoque ad viduam Domini, ſi fuerit factum intra annum luctus. (8) Si caſtrum Domini oppugnaverit 1. *F.* 5. (9) Si Dominum aſſalierit, ut vocabulo Feudiſtæ utar. 1. *F.* 5. 17. 2. *F.* 29. (10) teſtimonium in eum dixerit ſponte 2. *F.* 33. (11) Dominum inhoneſtis factis vel indecentibus machinationibus offenderit. 2. *F.* 57. (12) Si feudum ali-

enaverit 2. *F.* 52. ſi partem, pro parte amittit.

XXXII.

In alium committit culpam (1) ſi fratrem vel filium vel nepotem ſuum occiderit 1. *F.* 5. 2. *F.* 37. 2. *F.* 24. §. *deniq́ue verbis. Si vero non in Dominum, ſed aliàs graviter deliquerit, vel grave quid commiſerit, ſicut ille, qui fratrem ſuum interfecit, vel aliud grave crimen, (quod parricidii appellatione continetur) commiſit, feudum amittit.* Non autem hoc eſt extendendum ad fratrem Domini, propter quem feudo non debet privari Vaſallus, cum tantum textus loquatur de fratre ſuo 2. *F.* 37. (2) Si crimen perduellionis admittit, & quidem jure præcipuè noviſſimo, eſt enim æquè grave crimen ac parricidium. Agnati tamen nihilominus ſuccedunt. Kayſerlicher Landfried zu Außpurg. *tit. 3. Ord. Cam. p. 2. tit. 9.* §. So jemands. verbis die Lehen ſo viel der überfahrer gebraucht/ dem Lehn-Herren verfallen ſein/ und dieſelben Lehn oder deren theil/ ſo lange der friedbrecher lebt/ jhm oder andern Lehns Erben nicht kriegen/ noch den ſeinen Theil oder abnützung folgen laſſen. *Capitul. Leopoldi art. 27.* verbis. Wir gereden und verſprechen auch/ das wir die Churfürſten und Stände des Reichs mit jhren angehörigen Lehen/ ſie ſein auch gelegen wo ſie wollen/ wan derſelben Vaſallen oder unterthanen ſolche ex crimine læſæ Majeſtatis oder ſonſten verwircket nach jhrem willen ſchalten und walten laſſen/ Keines weges aber dieſelbe zum Kayſerlichen fiſco einziehen/ noch jhnen vorige oder andere Vaſallen auffdringen wollen.

XXXIII.

In ſemet ipſum committit culpam ...

ꝛ. quoniam inceſtus gravius crimen eſt, quam ſtuprum. Hoc vero non extendendum erit ad ſororem Domini, niſi factum fuerit in domo Domini vel in capilio *1. F. 5. 2. F. 24.* §. *2. verbis rurſus ſi Domini vel dominicæ filia.*

XXXIV.

Omittendo culpam committit Vaſallus plerumque in ipſum Dominum (1) ſi tribus vicibus citatus Domino fidelitatem præſtare recuſaverit *2. F. 22. 24.* §. *1.* (2) ſi juſtitiam facere neglexerit *2. F. 6. 24.* §. *2. verbis: illud tamen non lateat.* (3) ſi Servitia exhibere denegaverit *2. F. 24.* §. *2. verbis, ſed non eſt alia.* vel à Domino requiſitus viginti annis non præſtiterit. *1. F. 21.* (4) ſi imminens periculum Domino non denunciaverit *2. F. 7. 24.* §. *2.* (5) Si Dominum non adjuverit, vel in prælio conſtitutum dimiſerit. *2. F. 28. 54. 1. F. 5. 17. & 21. 2. F. 24* §. *2.* (6) Si captivum non redemerit *2. F. 24.* §. *2.* (7) Si inveſtituram mortuo Domino ab hærede ejus intra annum & diem petere neglexerit. *2. F. 24.* Sunt & aliæ cauſſæ quibus feudum amittitur, & ſic per conſequens inveſtitura finitur, quæ omnia hic recenſere & ſub una regula comprehendere, neque eſt inſtituti noſtri, neque facile poſſumus. *2. F. 23.* Ob cauſas enim juſtæ exheredationis & repudii aliasq; vel ſimiles vel graviores feudo quis privari poteſt. *2. F. 24.* §. *2. ideoq; Iudex* ut cum feudiſta loquamus, *ſolens & diſcretus; & æquitati obſecundare ſollicitus, cuncta ſubtiliter diſpenſans, provideat, ſi qua fuerit antiquioribus cauſis ſimilis vel major.* Vbi ſimul tribus verbis tangendum, ob ejuſmodi culpam, ſive uti ſolet appellari delictum feloniæ, inveſtituram non prius extingui, nec feudum amitti, quam ſi præceſſerit cauſſæ cognitio, & ſententia condemnatoria fuerit lata *1. F. 21. verbis: ſine cognita culpa 1. F. 22. pr. verbis: damnetur.* Hæc de inveſtitura ſufficiant: prolixius enim perſequi, præſens inſtitutum vetat. Si quid minus accuratè, vel minus rectè dictum ſit, benevolus lector pro humanitate ſuâ, ignoſcet.

SVMMO DEO GLORIA.